

X.

BULLA p. PAULI iv. Praeclara charissimi.

(Archiv. Vat. Regesta Pontificum N° 1850 Bulla secreta Pauli IV anno i Tom. 46 f. 55).

Ja. Larrinen. Paulus,
episcopus, Servus
Servorum Dei. Ad perpetuam
rei memoriam.

Praeclara charissimi in Christo filii nostri Philippi Regis et charissimae in Christo filiae nostrae Mariae, Reginae Angliae, Franciae Illustrium in Deum pietas ac sincera in Nos et hanc Sanctam sedem observantia atque in hac nova Regni Angliae ad ipsius Ecclesiae unitatem et verae fidei confessionem ac Nostram et Romani Pontificis obedientiam reductione studium singulare Nos merito impellunt ut quae pro pace et tranquillitate ipsius Regni, apostolica auctoritate emanarunt Nostrae approbationis munimine robaremus. Dudum siquidem cum dilecti filii supremum Concilium eiusdem Regni Parliamentum nuncupatum Philippo Regi et Mariae Reginae praedictis per suos suppli-

ces libellos exposuissent quod /19/ antea perniciosissimo Schismate in eodem regno vigente temeritate ipsorum Parlamento nonnulli episcopus divisus et ex illis aliquae inferiores Ecclesiae in Cathedrales erectae et scholae ac hospitalia fundata necnon plurimae dispensationes et beneficiorum provisiones factae fuerant: ac multae personae quibus persuasum extiterat juris Canonici dispositiones in Regno praedicto amplius locum non habere, inter se in gradibus consanguinitatis vel amicitiae de iure prohibitis ac aliis canonicis impedimentis sibi obstantibus matrimonia per verba de praesenti contraxerant; et multi actus iudicialii et processus tam in primis quam ulterioribus instantiis super rébus spiritualibus et ecclesiasticis coram iudicibus tam ordinariis quam delegatis auctoritate laicali procedentibus habiti et servati ac super eis, etiam sententiae latae et promulgatae, bonaque ecclesiastica per diversas eiusdem Regni personas occupata et apprehensa fuerant, quae omnia licet ex Sacrorum Canonum institutis irrita declarari possent, tamen si ad alium statum quam in quo tunc erant revocata fuissent, publica pax et quies universi Regni turbata et maxima confusio orta fuisset, praesertim si dictorum honorum possessores molestati fuissent. Et propterea eisdem Philippo Regi et Mariae Reginae humiliter supplicassent ut apud dilectum filium Reginaldum Scaae Mariae in Cosmedin Diaconum Cardinalem Polum nuncupatum, Nostrum et Apostolicae Sedis in praedicto Regno Legatum de latere intercedere dignerentur ut praemissarum rerum firmitate et stabilitate ac simul eiusdem Regni quieti et tranquillitate de benignitate Apostolica providere vellet; ac Venerabiles Fratres Nostri Episcopi et dilecti fini clerus provinciae Cantuariensis totum fere corpus ecclesiasticum repraesentantes, ad quos huiusmodi bonorum ecclesiasticorum causa maxime pertinebat, exposuissent quod bona huiusmodi ad ius ecclesiarum revocari non poterant quin pax universalis et quies eiusdem Regni turbaretur et causa fidei atque unitatis Ecclesiae tunc temporis tanto omnium consensu in eodem Regno introducta in maximum periculum adduceretur; et propterea ipsi quoque dictis Philippo Regi et Mariae Reginae supplicassent ut apud ipsum Reginaldum Cardinalem et Legatum intercedere vellent ut in eisdem bonis ecclesiasticis possessoribus relaxandis restrictus et difficilis esse nollet. Ipsi autem Philippus Rex et Maria Regina ad quos maxime spectabat procedere ut Regnum eorum potestati regimini et curae commissum in pace et tranquillitate conservaretur, supplicationibus et postulatis huiusmodi cognitis et mature consideratis iudicassent ea omnia et maxime illa quae in bonorum ecclesiasticorum causa petebantur pro /20/ causa fidei et pace publica

per ipsum Reginaldum Cardinalem et Legatum debere sine ulla dilatione concedi et propterea apud eundem Reginaldum Cardinalem et Legatum super praemissis omnibus intercessissent. Praedictus Reginaldus Cardinalis et Legatus qui illuc ut ipsum Regnum quod tamdiu ab Ecclesiae Catholicae Unitate separatum fuerat Deo et Ecclesiae Christi eiusque in terris Vicario reconciliaret et ea omnia quae ad pacem et tranquillitatem ipsius Regni pertinerent omni studio procuraret missus fuerat, ut paci et tranquillitati Regni huiusmodi consuleret et unitas Ecclesiae ex qua salus tot animarum Pretioso Christi sanguine redemptarum dependebat in eodem Regno jam introducta corroboraretur et salva permaneret cum utriusque rei stabilitatem in eo maxime consistere si dictorum bonorum ecclesiasticorum possessoribus quominus ea tenerent nulla molestia inferretur plura et quidem gravia testimonia fidem facerent et ipsorum Philippi Régis et Mariae Reginae qui pro unitate Ecclesiae et dictae Sedis auctoritate in praedicto regno instauranda tam studiose et pie elaboraverant, intercessio eam quam par erat auctoritatem apud dictum Reginaldum Cardinalem et Legatum haberet et ut universum Regnum praedictum maternam vere eiusdem Sedis indulgentiam et charitatem erga se agnosceret et re ipsa experiretur praedicta Auctoritate Apostolica qua per literas dictae Sedis sufficiente ad id facultate munitus in ea parte fungebatur per suas literas dispensavit quod omnes et singulae Cathedralium Ecclesiarum erectiones Hospitalium et Scholarum foundationes tempore praedicti Schismatis de facto et nulliter attestatae in eo statu in quo tunc erant perpetuo firmatae et stabiles permanerent; illisque Apostolicae firmitatis robur adiecit, ita ut non temeritate priori sed ea Auctoritate quam tunc ipse eis tribuebat factae ab omnibus censerentur; ac cum omnibus et singulis personis dicti Regni quae in aliquo consanguinitatis vel affinitatis gradu etiam multiplici vel cognationis spiritualis seu publicae honestatis iustitiae impedimento de iure positivo introductis et in quibus Romanus Pontifex dispensare consueverat, matrimonia scienter vel ignoranter de facto contraxissent ut aliquo impedimentorum huiusmodi non obstante in earum matrimoniis sic contractis libere et licite remanere seu illa de novo contrahere possent misericorditer in Domino dispensavit prolem susceptam et suscipiendam legitimam decernendo. Ita tamen ut qui scienter et maliciose contraxerant a sententia Excommunicationis et ab incestus seu sacrilegii reatu a suo Ordinario vel curato quibus id faciendi facultatem concessit, absolutionem obtinerent; ac

CUM COMPLURIBUS ECCLESIASTICIS /21/ SAECULARIBUS ET DIVERSORUM ORDINUM REGULARIBUS PERSONIS QUAE DIVERSAS IMPETRATIONES DISPENSATIO-

NES, GRATIAS ET INDULTA TAM ORDINES QUAM BENEFICIA ECCLESIASTICA SEU ALIAS SPIRITUALES MATERIAS CONCERNENTIA PRAETENSA AUCTORITATE SUPREMITATIS ECCLESIAE ANGLICANAE NULLITER.⁵ ET DE FACTO OBTINUERANT, ET AD COR REVERSAE ECCLESIAE UNITATI RESTITUTAE FUERANT, UT IN SUIS ORDINIBUS ET BENEFICIIS REMANERE POSSENT, DISPENSA VIT ET CUM ALIIS SIMILI MORBO LABORANTIBUS SE DISPENSATURUM ESSE OBTULIT... ac omnes processus in quibusvis instantiis coram quibuscumque iudicibus tam ordinarius quam delegatis etiam laicis super materiis spiritualibus habitos et formatos et sententias super eis latas quoad nullitatem ex defectu iurisdictionis insurgentem tantum sanavit illosque et illas Apostolica Auctoritate praedicta confirmavit ac quibusvis eiusdem Regni personis ad quorum manus bona ecclesiastica ex quocumque contractu seu titulo oneroso vel lucrative» jam devenissent illaque tenuissent seu etiam tunc tenerent omnes et quoscumque fructus ex iisdem bonis licet indebite perceptos in totum remisit et relaxavit, volens et decernens quod dictorum bonorum ecclesiasticorum tam mobilium quam immobilium possessores non possent tunc nec in posterum per conciliorum Generalium vel Provincialium dispositiones seu decretales Romanorum Pontificum epistolas aut quameumque aliam censuram ecclesiasticam in dictis bonis seu illorum possessione molestari, inquietari vel perturbari nec eis aliqua censurae vel poenae ecclesiasticae propter huiusmodi detentionem seu non restitutionem irrogari vel infligi et sic per quoscumque iudices et auditores sublata eis quavis ali(ter) iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate iudicari et definiri debere ac irritum et inane quidquid secus contingeret attentari prout in eisdem literis in quibus admonuit ad Romanum Pontificem recurrendum esse et ab eo suppliciter postulandum ut praemissa confirmare seu de novo facere digneretur, et eos qui res mobiles Ecclesiarum tenebant admonitos esse voluit ut severitatem Divini iudicii contra Balthasarem regem Babilonis qui vasa sacra non a se sed a patre et templo ablata in prophanos usus convertit, ante oculos habentes, ea si extarent propriis ecclesiis vel aliis restituerent; et hortatus (est) ac etiam per viscera misericordiae Jesu Christi obtestatus est omnes et singulos quos hoc tangebatur ut salutis suae non /22/ omnino immemores, hoc saltem efficerent ut ex bonis ecclesiasticis maxime his quae ratione personatum et Vicariatum populi ministrum sustentationi fuerant specialiter destinata seu Cathedralis et aliis quae tunc extabant inferioribus ecclesiis curam

⁵ Pro explicatione huius clausulae, vide notam 1 sub documento VIII, p. 17.

animarum exercentibus ita provideretur ut earum pastores persone et vicarii commode et honeste iuxta earum qualitatem et statum sustentari et curam animarum laudabiliter exercere ac onera incumbentia congrue supportare possent plenius continetur.

Cum autem postmodum iidem Philippus Rex ac Maria Regina très oratores suos, viros admodum insignes et omni virtute praeditos ad Nos destinaverint et per eos Nobis in consistorio Nostro publico coram Venerabilibus Fratribus Nostris S. Romanae Ecclesiae Cardinalibus et compluribus Archiepiscopis et Episcopis aliisque ecclesiarum praelatis obedientiam praestiterint et successive Nobis supplicari fecerint ut singulis dispensationibus, decretis, adjectioni, sanationi, remissioni, relaxationi et voluntati Reginaldi Cardinalis et Legati ac super illis confectis literis huiusmodi robur Nostrae approbationis adjicere aliisque in praemissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos iudicantes reductionem Regni huiusmodi a qua tot animarum Pretiosissimo Domini Nostri Jesu Christi Sanguine redemptarum salus dependet, ac ipsius Regni in confessione verae Fidei et Unitate Catholicae Ecclesiae pacem et tranquillitatem nullis terrenarum rerum affectibus perturbari debere; premissis omnibus cum nonnullis ex eisdem fratribus Nostris ipsius Romanae Ecclesiae Cardinalibus propositis et diligenter discussis, habitaque desuper deliberatione matura singula dispensationes, decreta, adiectionem, sanationem, remissionem, relaxationem et voluntatem Reginaldi Cardinalis et Legati huiusmodi ac prout illa concernunt omnia et singula per eundem Reginaldum Cardinalem et Legatum in praemissis gesta ac facta ac in eisdem literis contenta.

ITA TAMEN UT SI QUI AD ORDINES ECCLESIASTICOS TAM SACROS QUAM NON SACROS AB ALIO QUAM EPISCOPO AUT ARCHIEPISCOPO RITE ET RECTE ORDINATO PROMOTI FUERUNT EOSDEM ORDINES AB EORUM ORDINARIO DE NOVO SUSCIPERE TENEANTUR, NEC INTERIM IN IISDEM ORDINIBUS MINISTRENT.

Praedicta auctoritate Apostolica ex certa scientia approbamus et confirmamus ac illis plenum et perpetuum inviolabilis firmitatis robur adicimus, suppletes omnes et singulos juris et facti defectus, si qui /23/ forsan intervenerint in eisdem, eaque omnia valida et efficacia fore suosque plenarios effectus sortiri debere decernimus. Ut nihilominus pro potiori cautela cum his omnibus cum quibus idem Reginaldus Cardinalis et Legatus ut praefertur dispensavit modo et forma praedictis **ITA TAMEN UT AD ORDINES PRAEDICTOS AB ALIO QUAM EPISCOPO AUT ARCHIEPISCOPO UT PRAEFERTUR ORDINATO PROMOTI, ORDINES IPSOS UT PRAEMITTITUR, DE NOVO SUSCIPERE TENEANTUR ET INTERIM UT PRAEFERTUR**

NON MINISTRENT; eadem Apostolica auctoritate de specialis dono gratiae de novo dispensamus, ac ea omnia quae praedictus Reginaldus Cardinalis Legatus decrevit decernimus nec non omnibus his quibus ipse robur Apostolicae firmitatis adjecit Nos quoque robur ipsum adicimus. Ac processus et sententias quos et quas ipse ut profertur sanavit modo et forma praemissis sanamus fructusque ex eisdem bonis ecclesiasticis ut profertur perceptos prout per ipsum Reginaldum Cardinalem et Legatum remissi et relaxati fuerunt personis quae illos perceperunt remittimus et relaxamus. Ac demum ea omnia quae idem Reginaldus Cardinalis et Legatus in eisdem literis voluit nos quoque volumus ac per eum ut praefertur admonitos admonemus aliosque et alia agimus et facimus quae et prout ipse in praedictis literis egisse et fecisse dinoscitur non obstantibus felicis recordationis Pauli Papae II praedecessoris Nostri de rebus ecclesiae non alienandis et quibusvis aliis Apostolicis ac in Provincialibus et Sinodalibus Conciliis editis specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus foundationibus quoque statutis et consuetudinibus etiam juramento confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis coeterisque contrariis quibuscumque, &c. Nulli, &c, nostrae approbationis confirmationis adjectionis, suppletionis, decretorum, dispensationis, sanationis, concessionis, relaxationis, voluntatis admonitionis, actionis et factionis, &c. Siquis, &c.

Datum Romae apud S. Marcum anno Incarnationis Dominicae millesimo quingentesimo quinquagesimo quinto. Duodecimo Kal. Julii. Pontificatus Nostri anno primo.

BARENGUS.

Jo. LARINEN.

FREDERICUS CARD. CESIUS.

EPISTOLA PAULI IV.

(Ad Regem et Regnam Angliae, in qua refert ea quae acta fuerunt ab oratoribus Angliae in Urbe, et concessionem Petitionum Cardinali Polo, factas et in huius Praedara charissimi contentas).

PAULUS PAPA IV PHILIPPO ET MARIAE ANGLIAE REGIBUS.

30 Junii 1555.

Charissimi in Christo filii nostri, salutem et Apostolicam benedictionem. Quos tanto nos desiderio, et Romana Ecclesia univer-

sa, cunctusque aima hujus urbis populus expectabamus, dilectus filius nobilis vir, Antonius de Montacuto, Venerabilis frater Thomas, Eliensium Episcopus, et dilectus filius Eques, Edwardus Carne, serenitatum vestrarum oratores, duce vestrae apud Deum celestis gratiae lumine. nonis Junii incolumes ad nos pervenerunt: quinto autem post die, in palatio apostolico et aula regum, publicum eis consistorium dedimus, in quo venerabilibus fratribus nostris sanctae Romanae ecclesiae Cardinalibus, principum Christianorum oratoribus, magno Episcoporum et praelatorum número, omnibusque nobilium Romanorum et aulicorum ordinibus praesentibus, simul atque a nobis ad paternum pacis et amplexum et osculum admissi fuerunt, primo regium vestrum amplissimumque mandatum, ad gratias de data praeteriti schismatis venia per eos agendos, debitam nobis et sedi Apostolicae submissionem et obedientiam, vestro ac vestri regni nomine, praestandam, Ecclesiarum Cathedralium tunc isthic erectarum confirmationem petendam, audientibus omnibus, ab uno ex nostris secretariis perlectum est. Postea, ab ipso Eliensium Episcopo habita oratione eaque nondum finita, reditae ab eis literae patentes, quae omnem regni istius cum Romano pontifice et sancta sede Apostolica reconciliationis seriem, legumque contra eam laterum abrogationem, contenebant, eis eodem modo, quo mandatum recitatum fuerat, perlectis, ipse idem Episcopus una cum collegis suis, gratias de data schismatis venia peractis, ipsaque obedientia vestro utriusque et ejusdem regni nomine praestita, peroravit. Nos vero una cum eisdem venerabilibus fratribus nostris Cardinalibus, obedientiam ipsam admittentes, eos, et eorum personas, utrumque /25/ vestrum, totumque ipsum regnum referentes, omni chantâtes affectu iterum amplexi sumus et osculati, atque in clementissimae matris Catholicae et Apostolicae Ecclesiae gratiam et gremium recepimus, quod nemini ad eam redeunti unquam clausum est: cumque dilecti fini Reginaldi, Sanctae Mariae in Cosmedin diaconi Cardinalis, Poli, nostri et sedis Apostolicae de latere legati, literas, quae veniae et absolutionis ipsius fidem faciebant, nobis demum porrigerent, non solum veniam et absolutionem ipsam approbavimus, sed, quatenus opus esset, denuo dedimus. Verum postquam ita haec omnia peracta sunt, sic oravit Episcopus vera eloquentia et sana praedita doctrina, adeo vestrorum praeteritos errores commemoravit, eoque animi affectu poenitentiam praesentem ante omnium, qui aderant, oculos posuit, ut, pro gaudio tanti a Deo accepti beneficii, vix nonnulli sibi a lacrymis temperare potuerint: nam, etsi, primis ejus rei nuntiis felicitis recordationis Julio III, praedecessori nostro, allatis, ea laetitiae si-

gna ubique apud nos data sint, de quibus ad vos prescriptum diligenter fuisse arbitramur, nihilque a nobis optari nec praeclarius nec sanctius posse videbatur, non plane tamen omnes in eo conquievissent, nisi hac veluti extrema praestitae obedientiae manu serenitates vestrae opus ipsum perfecissent. Quare, consistorio dimisso, eiusque actis per urbem pervulgatis, ipsimet oratores testes erunt tum privatae, tum publicae, totius ecclesiae atque urbis hilaritates. Nos, cum ex nostra laetitia alienam metiremur, nullam aliam majorem excogitari posse multis de eausis putabamus; cum, tamen, non ita multo post, XII Cal. Juki, ab eodem Episcopo et Edwardo, nam paulo ante hinc decesserat Antonius, mandatum item vestrum et patentes literae nobis fuerint redditae, eodem exemplo quo eae, quas in consistorio lectas dicebamus (nomine tantum Juli III, quo illae fuerant inscriptae, in nostrum Pauli IV immutato), usque adeo aucta, ut nullum ejus testimonium adhiberi a nobis certius possit, quam illius qui cordium scrutator est. Quantum tamen potuimus, eam, ad illius laudem omnibus ostendimus: postridie enim, in consistorio secreto apud sanctum Marcum, aliquot ibidem praelatis virisque insignibus praeter morem convocatis; literas prius quibus seorsum vestrae serenitates de pontificatu nostro nobis respondebant, postea mandatum et literas patentes perlegi fecimus, et quamvis res ipsa per se adeo sit memorabilis, ut his monumentis egere non videatur, ea tamen in archivio, et in secretioribus nostris hujusmodi scripturarum thesauris diligenter reponi et asservari mandavimus; obedientiam vestram in credibili ipsorum fratrum /26/ nostrorum plausu iterum accepimus; veniam et obedientiam datam comprobavimus; et coetera fere omnia egimus quae in consistorio publico egeramus: quo etiam et pluribus actibus ac testimoniis confirmata fuisse in praesenti et in posterum compertum fuerit, id eo majorem vestris serenitatibus pietatis gloriam, regno ipsi vestro fidei constantiam, sanctae huic vero sedi auctoritatem videtur pariturum esse. Quae omnia etsi ab ipsis oratoribus serenitates vestrae melius cogniturae sunt, quam tamen ipsi egregie ac pie, quantaque cum vestra utriusque dignitate hoc legationis munere benevolentiam vobis apud omnes comparaverint, quantaque sedes Apostolica et nos serenitatibus vestris, post Deum ipsum, debeamus, voluimus bis etiam literis apud vos testatum esse. Nam de Cantuariensi, aliisque ecclesiis, et caeteris ejusdem generis negotiis, ipsimet oratores, idemque dilectus filius noster, Cardinalis Polus, legatus, copiose vobiscum locuturi sunt; nos enim omnem operam navabimus et his et omnibus aliis vestris desideriis, quae nonnisi honestissima fore confidimus, ut, quantum cum Deo poterimus, satisfaciamus.

Datum Romae, apud S. Marcum, sub annulo piscatoris, die
xxx Junii MDLV. Pont. Ntri anno i.^o
(Tierney, *Dodd's History of the Church, II*, p. cxx).

XIII.

BREVE DECLARATORIUM PAULI IV.

(Archiv. Secret. Vatican. Brev. Original. Pauli PP. IV Tom 1 N.º 301).

Ad futuram Rei memoriam.

Regimini universalis ecclesiae mentis licet imparibus disponente Domino presidente ad ea libenter intendimus per quae singulae personae ecclesiasticae in ordinibus per eas susceptis puro corde et sana conscientia ministrare possint. Dudum siquidem dilectus filius Reginaldus Sanctae Mariae in Cosmedin diaconus Cardinalis Polus nuncupatus Nostrae et Apostolicae sedis in Regno Angliae. Legatus de latere cum compluribus ecclesiasticis saecularibus et diversorum ordinum regularibus personis quae diversas impetrationes dispensationes gratias et indulta tam ORDINES quam beneficia ecclesiastica, seu alias spirituales materias concernentia praetensa auctoritate supremitatis ecclesiae Anglicanae NULLITER et de facto obtinuerant, et ad cor reversae ecclesiae unitati restitutae fuerint, ut in suis ordinibus et beneficiis remanere possent dispensasset, et cum aliis simili morbo laborantibus se dispensaturum esse obtulisset Nos singulas dispensationes huiusmodi ac prout illas concernebant omnia et singula per ipsum Reginaldum Cardinalem et Legatum in praemissis gesta et facta ac indesuper confectis ipsius Reginaldi Cardinalis et legati literis contenta ITA TAMEN UT QUI AD ORDINES TAM SACROS QUAM NON SACROS AB ALIO QUAM EPISCOPO AUT ARCHIEPISCOPO RITE ET RECTE ORDINE PROMOTI FUISSENT EOSDEM ORDINES AB EORUM ORDINARIO DE NOVO SUSCIPERE TENERENTUR, NEC INTERIM IN IPSIS ORDINIBUS MINISTRARENT per alias Nostras sub plumbo confectas literas approbavimus et confirmavimus, et cum his omnibus cum quibus dominus Reginaldus Cardinalis et Legatus ut praefertur dispensaverat modo et forma praefatis, ITA TAMEN UT AD ORDINES PRAEDICTOS AB ALIO QUAM EPISCOPO AUT ARCHIEPISCOPO UT PRAEFERTUR ORDINATO PROMOTI ORDINES IPSOS UT PRAEMITTITUR DE NOVO SUSCIPERE TENERENTUR ET INTERIM UT PRAEFERTUR NON MINISTRARENT de specialis dono gratiae dispensavimus prout in singulis tam Nostris quam ipsius Reginaldi Cardinalis et Legati literis praedictis plenius continetur.

Cum autem sicut Nobis nuper innotuit a pluribus haesitetur qui episcopi et archiepiscopi schismate in ipso Regno vigente rite et recte ordinati dici possit, Nos haesitationem huiusmodi tollere et serenitati conscientiae eorum qui schismate praedicto durante ad ordines promoti fuerunt mentem et intentionem quam in eisdem litteris Nostris

habuimus clarius exprimendo opportune consulere volentes | DECLAR< A>MUS | EOS TANTUM EPISCOPOS ET ARCHIEPISCOPOS, QUI NON IN FORMA ECCLESIAE ORDINATI ET CONSECRATI FUERUNT RITE ET RECTE ORDINATOS DICI NON POSSE, ET PROPTEREA PERSONAS AB EIS AD ORDINES IPSOS PROMOTAS ORDINES NON RECEPISSE, SED EOSDEM ORDINES A SUO ORDINARIO JUXTA LITERARUM NOSTRARUM PRAEDICTARUM CONTINENTIAM ET TENOREM DE NOVO SUSCIPERE DEBERE ET AD ID TENERI: alios vero quibus ordinis hujusmodi collati fuerunt ab episcopis et archiepiscopis in forma ecclesiae ordinatis et consecratis, licet ipsi episcopi et archiepiscopi schismatici fuerint, et ecclesias quibus praefuerint de manu quondam Henrici VIII et Eduardi VI praetensorum Angliae Regum receperint, characterem ordinum eis collatorum recepisse et solum executione ipsorum ordinum caruisse et propterea tam Nostram quam praedicti Reginaldi Cardinalis et Legati dispensationem eis concessam, eos ad executionem ordinum hujusmodi ita ut in eis etiam absque eo quod juxta literarum nostrarum praedictarum tenorem ORDINES ipsos a suo ordinario DE NOVO SUSCIPIANT libère ministrare possint plene habilitasse sicque ab omnibus censi et per quoscumque quavis auctoritate fungentes judicari debere ac si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari irritum et inane decernimus non obstantibus /29/ praemissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis coeterisque contrariis quibuscunque.

Dat. Romae apud S. Marcum, etc., die xxx Octobris, 1555, anno primo.

Ja. Card. Puteus.

Minuta breve ordinata et potest expediri

Io Bap. Dat.

(In dorso)

Pro nonnullis Ordinatis ad sacros Ordines in Regno Angliae.

Alias Sanctitas Sua in aliis Suis literis voluit ut qui in Regno Angliae ad ordines tam sacros quam non sacros ab alio quam Episcopo vel Archiepiscopo rite et recte ordinato promoti fuissent ab eorum ordinario de novo suscipere tenerentur, nunc cum haesitetur qui Episcopi et Archiepiscopi schismate in ipso regno vigente rite et recte ordinati dici possint, declaret eos tantum Episcopos et Archiepiscopos qui non in forma Ecclesiae ordinati et consecrati fuerunt rite et recte ordinatos dici non posse, et propterea personas ab eis ordinatas ab eorum ordinario ordines ipsos de novo suscipere debere. Alii vero ordinati ab Episcopis et Archiepiscopis in forma Ecclesiae ordinatis et consecratis

licet schismatici fuerint et eorum ecclesias de manu Henrici VIII et Eduardi VI receperint, characterem ordinum eis collatorum recepisse, et solum executione caruisse et propterea dispensationem Sanctitatis Suae et Legati ad executionem huiusmodi eas rehabilitasse.

Card. Puteus dicens minutam brevem ordinatam et posse expediri.